

fos: jam hostem intra mœnia esse. Quid aliud expectari? nisi ut, milite interiores munitiones transgresso, reliquum miseræ urbis, quod fortuna potius quam cuiusquam virtus incolume servasset, hostibus diripiendum daretur. Stultitiam esse dicere, non pertinaciam: ubi jam omnino plus non possis, nolle cedere. Ad eas voces territus ille, novissime Galeacii fidem implorat: cum lachrymisque eum orat, ut afflictæ domus indignam fortunam miseratus, suæ natorumque saluti, quantum ipsius fides pateretur, consultum vellet: atque ita, civibus id petentibus, Venetum sine alio majore certamine nono calendas Decembris in urbem inducit. Padua recepta, Novellus cum Francisco, cui Tertio cognomen fuit, & Guilielmo filiis (Ubertinus & Marsilius ante urbem deditam fuga dilapsi in Hetruriam abiire) Venetias est ductus. Hic eos in insula e regione comitii a lembis (plerisque sollicitè circumspectantibus, ne inde abirent) Patres primo custodiri mandarunt. Zacharias Trevisanus Patavium nuper receptum primus omnium Præfectus mittitur, Marinus Caravellus Prætor: valido præsidio multisque munimentis urbem subito muniunt, nonnullos quoque Carrariæ factionis studiosissimos, alios alio relegant: omnia solerti cura provident, quæ ad tam illustrem civitatem retinendam pertinere videbantur. Tyrannus & filii noctu (ne populus eos videret, quos utique ob inveteratum odium discerpisset) in carcerem seorsum translati, jussu Patrum strangulati sunt: ad Protomartyris ædem pater elatus, filiorum corpora ad Georgii fanum. Is Carrariensium finis fuit, qui nuper tanto strepitu omnia terrore & minis complebant: & quibus non satis erat nobilissimæ urbis Principatus, nisi eorum arma, per quos Principum nomen olim eorum majores adepti essent, temerario in se bello irritassent. Sed eo certe eventu, non alio, crudelem Francisci tyrannidem dignam judicarunt multi. Fama est, Androphagos canes immanis staturæ habuisse, quibus miseros cives laniandos objicere solitus esset. Visuntur adhuc in eo conclavi, in quo Decemviri sedent, scorpiones duo mini-

1405

*Carrarii
Padua ca-
pta, in Ve-
netorum po-
testatem
venere.*

*Venetis
jussu Pa-
trum in car-
cere stran-
gulati.*